

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0969
	0967
	0973
	0963
	0978
	0958
	1018
	0918
	1068
	0868
	0468
	Ende
	Anfang
396	
et frangens potius verba quam praeloquens inter horrentia ora satis blandum quaesivit eloquium, et cum dextra manus pretensione cupitum indicat iter, et sic per patentes campos volitando transmittens se in fugam ex oculis mirantis evenit, stupensque Antonius et de eo, quod viderat, secum volvens ulterius progrediebatur; nec mora, inter saxosam convallem haud grandem homunculum videt aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Ad hoc spectaculum Antonius scutum fidei arripuit et memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum quasi pacis obsides offerebat. Quo cognito pressit gradus Antonius et, quisnam esset, interrogans hoc responsum ab eo tulit: mortalis ego sum et unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas (b) faunos et satyros et incubos colit; legatione fungor gregis meae: precamur, ut pro nobis communem Dominum depreceris, quem pro salute mundi olim venisse cognovimus. Haec bestia loquente Antonius prae gaudio lacrimas fudit baculoque terram percutiens ait: vae tibi Alexandria, quae pro Deo portenta veneraris, quid dictura es bestiae Christum loquenti? Nec dum verba compleverat et quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Quodam tempore istiusmodi homo unus perductus est Alexandriam et magnum populo spectaculum praebuit et postea, ne cadaver exanime calore solis et aestatis dissiparetur, sale infusum ad Antiochiam imperatori videndum allatum est. Hos ego nec Fauni nec Saturni filios credam, dum homines isti, illi vero animalia bruta sint. Sed possibile est, circa Saturni tempora vel Fauni ex eis ortus est error et de eis primo recitatio inter mulierculas haberit coepit.	
Decimo quarto solitudo vel desertum est locus daemonum, unde Tobiae VIII. legitur, quod archangelus Raphael religavit Asmodeum in desertum superioris Aegypti. Et Dominus ductus est in desertum, ut diabolus eum ibi inveniret.	
Propter sex sequentes deserti conditiones intrabant olim homines sancte vivere cupientes. Unde in regula beati Jeronymi Cap. IX. laudat Jeronymus desertum, dicens: O desertum decem floribus vernans, o solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus urbs beata construitur, o eremus familiaris	